



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Speculum Approbandorum Bipartitum

Unczovsky, Marianus

Coloniæ Agrippinæ, 1693

Quæstio XXVI. De Casibus reservatis Papæ Episcopis & etiam Superioribus
Regulariu[m].

urn:nbn:de:hbz:466:1-37308

teri inferiori, fictionem aperire, & pœnitentiam impositam exequi?
 S. Tenetur. *Cajet. in Sum. ver. cas. refer. Vasq. Tom. 4. q. 9. 1. art. 3. dub. 5.* debet namq; inferior sequi iudicium Superioris, & obligare Pœnitentem ad iunctam sibi pœnitentiam implendam.
 V. Benè ergo concludetur quòd faciens confessionem invalidam si oblisceretur confiteri peccata reservata coram habète auctoritatem, non possit deinde eorum absolutionem à non habente auctoritatem consequi.
 S. Optimè: quia nec directè nec indirectè ab illis absolutus fuisset, & dolus nemini debet patrocinari maxime in tanto Sacramento.

QUÆSTIO XXVI.

De Casibus reservatis Papa, Episcopis, & etiam Superioribus Regularium.

Vicar. **Q**ui sunt casus Papæ reservati?

S. Illi

S. Illi qui habent annexam censuram seu excommunicationem Summo Pontifici reservatam.

V. Ergo in casibus Papalibus reservatio se tenebit ex parte excommunicationis seu censuræ adjunctæ?

S. Hæc est doctrina, quam reperio in *Tol. lib. 3. c. 14. Suar. Disp. 29. de Penit. Sect. 2. Navar. c. 27. num. 261.* & alijs, doctentibus nullum à Papa peccatum reservari consuevisse nisi ratione censuræ adjunctæ, ità ut si Papa ejusvè Pœnitentiarius à Censura illa absolvat, quilibet Confessarius postea possit in foro conscientiæ absolvere: imò *Laym. Tract. 6. de Sac. Penit. c. 12.* dicit, quòd si quis committat peccatum aliquod Papæ reservatum, sed ex ignorantia invincibili nesciat Censuram tali peccato esse annexam, sicut ignorantia illa juris eum ab excommunicatione incurrenda excusat, sic etiam faciat ut ejus peccatum minime reservatum censeatur.

V. De-

V. Desiderium meum est audire quanam sint illi casus ob annexam censuram Summo Pontifici reservati?

S. Plurimi & varij in *Jure Canon.* expressi, & fusè à *Toledo* explicati *lib. 1. cap. 19. & seq. Syl. v. casus reserv. Navar. c. 27. n. 15.*

V. Nonnè etiam in diversis Ritualibus adnotantur?

S. Quos hæctenus legi in quibusdam, sunt sequentes:

I. Hæresis, & lectio, aut retentio librorum Hæreticorum absq; facultate Sedis Apostolicæ.

II. Apostasia.

III. Occisio seu mutilatio membrorum, & quæcunque atrocior percussio Clerici in Sacris constituti.

IV. Percussio Episcopi seu alterius Prælati.

V. Simonia realis in ordinibus & Beneficijs.

VI. Delatio armorum ad partes Infidelium.

VII. Ex-

VII. Exustio templorum, nec non & domorum Prophanarum, quando Incendiarius est publicè denunciatus (idem intelligendum de effractione & spoliatione ædium Sacrarum.)

VIII. Falsificatio Bullarum seu litterarum Summi Pontificis,

IX. Violatio immunitatis Ecclesiastica in IV. terminis *Constit. Gregor. XIII.* quæ incipit *cum alijs nonnulli.*

X. Violatio clausuræ Monialium ad malum finem.

XI. Invasio, Deprædatio, Occupatio, aut Devastatio terrarum Romanæ Ecclesiæ.

XII. Violatio interdicti ab eadem Sancta Sede impositi.

XIII. Absolutio à Papalibus data sinè licentia.

XIV. Commutatio & Dispensatio votorum Castitatis, Religionis, visitationis Apostolorū Petri & Pauli &c.

V. Non observasti etiam casum Papalem incurrere celebrantem Missam in
Ex-

Excommunicatione majori sicut & se-
pelientem Hæreticos in loco Sacro?
S. Benè observavi quemadmodum &
singulas censuras in Bulla Cœnæ ex-
pressas, paratus respondere ad omnia
quæ proponentur.

V. Nolo tecum nunc de his discurrere,
sis paratus tunc, quando proponam
difficultates de absolutione ab Excom-
municationibus in Bulla Cænæ con-
tentis, jam quæro, quid sentis de cri-
mine Aurefis supra expresso in ordine
ad absolutionem?

S. Sentio quòd ab hoc crimine in his
& aliarum Provinciarum locis soleant
Episcopi absolvere sive ex consuetudi-
ne immemorabili, sive ex tacita vel
expressa Summi Pontificis licentia &
noto ex *Lay, L. 1. T. 5. par. 2. de excom.*
e. 6. reservationem à Summis Pontifi-
cibus factam non adeò strictam esse,
quin ob plures causas relaxetur & ad
Episcopalem jurisdic. devolvatur.

V. Quænam sunt hæ causæ?

S. Pri-

S. Prima causa est *etatis infirmitas*, si nimirum impuberes in casum aliquem Papæ reservatum incidant, qui etiam post pubertatem ab Episcopo absolvi possunt, ut habetur cap. *pueris de Sent. Excom.* Secunda est *sexus infirmitas*: Mulieres enim in excommunicatione Papalem lapsæ ab Episcopo absolvi possunt, ut habetur cap. *Mulieres* & cap. *Quamvis* eodem tit. Tertia causa est, quodvis *legitimum impedimentum Sedem Apostolicam adeundi*, quâ ratione excusantur pauperes, senes, valetudinarij, item ij qui sui Juris non sunt, aut qui ob puram administrandi familiam, gerendi officium publicum, vel ob periculum vitæ, infamiæ, scandali, aut aliam similem causam impediuntur, nè Romanam ad absolutionem recipiendam proficisci possint: concludit proinde citatus Doctor, quod juxta regulam communiter receptam *casus Papalis, superveniente impedimento adeundi Papam, fiat Episcopalis.*

V. De.

V. Descendamus ergo ad casus Episcopales, quæro: qui sunt casus Episcopii de jure reservati?

S. Quoad casus Episcopales mihi videtur tutissimum fore, si quilibet Confessari^o adverterit ac observaverit consuetudinem & statuta Synodalia ac reservationes speciales Diœcesis illius in qua versatur, & administrandæ pœnitentiæ incumbit, ijsq; in praxi se conformaverit.

V. Non quæro, qui casus sint reservati Episcopis de consuetudine generali, aut constitutione particulari, sed inquiri casus illis reservatos ex jure.

S. Existimo me rationabiliter respondurum, si dixerò, non esse aliquod peccatum jure communi Episcopo reservatum *Suar. tom. 4. Disp. 29. Sect. 3.*

V. Quid dicis? nonne peccata illa, quæ sunt notoriè Scandalosa, & pro quibus olim publica pœnitentia imponebatur sunt de jure Episcopo reservata?

S. Jam non est in usu imponere pœnitentiam

tentiam publicam, & mihi constat,
præcipi Confessarijs, ut non absolvant
à peccato publico & scandaloso, nisi
severâ pœnitentiâ injunctâ, ex quo de-
duco talia delicta non esse de jure & ex
se reservata Episcopis, cùm Pontifex
indulgeat quibuslibet Confessarijs ab
illis absolvere severâ pœnitentiâ in-
junctâ *Tolet, lib. 3. cap. 14. Fagund lib. 8.
cap. 2. n. 7.*

U. Unde tibi constat quòd Pontifex
indulgeat?

S. Ex *Concilio Lateran. sub Leone X.*

U. Putasne blasphemiam publicam & no-
toriam non esse de jure Episcopo refer-
vatam?

S. Observo cum *Suar. & Navar.* in ju-
re solum esse sermonem de pœniten-
tia pro hoc delicto imponenda in foro
exteriori: advertit idem *Suar.* in jure
non inveniri reservationem pro delicto
quale est *incendium ex proposito fa-
ctum, & consilium vel auxilium ad id
præstitum.*

U. Sal-

U. Saltè peccatum Clerici habens annexam irregularitatem est Episcopo de jure reservatum.

S. Dispensatio in irregularitate utique est reservata, ast à peccato Clericus absolvi potest remanente irregularitate.

U. Nihil audivisti de excommunicatione majori alioquin Papæ reservata, cujus tamen absolutio in aliquibus casibus pertinet ad Episcopum?

S. Sermo noster est de peccatis reservatis: excommunicatio autem non est peccatum sed peccati pœna: quare nec dispensationes in votis ac juramentis debent numerari inter casus cum non sint peccata.

U. Cur autem exprimuntur in Ritualibus quidam casus ex jure Episcopo reservati?

S. Exprimuntur & adnotantur juxta consuetum modum loquendi, & quia non desunt Doctores censentes quodcunque peccatum enorme publicum, scandalosum &c. de jure Episcopis reservatum.

servatum esse, cæterum eruditè docet
citus *Suar.* non esse aliquod pecca-
tum jure communi (seclusâ consuetu-
dine) Episcopo reservatum.

U. Recense igitur casus illos, qui ex
consuetudine Episcopis reservantur.

S. Reservatur *homicidium voluntarium,*
aut *membroꝝ mutilatio.*

U. Debetne præmitti satisfactio ante
absolutionem ab Authore delicti, vel
eo qui præcepit?

S. Debet.

U. Progredere ultra.

S. Reservatur quoq; *crimen Falsarij seu*
falsi.

U. Stringuntur hîc tantum illi, qui
litteras aut scripta falsa supponunt &
exhibent?

S. Etiam falsi testes, qui mendaciter
contra verum stant, etiam ij qui roga-
ti veritatem celant, Perjuri quoq; qui
fidem ac jusjurandum violant.

U. Etiamne reservationi subjacent No-
tarij & Advocati ostendentes scriptu-
ras parti adversa? S. Eti-

S. Etiam.

V. Ulteriùs.

S. *Violatio loci sacri seu sacrilegium*: dicitur cum quis in loco sacro læditur, vel ad eum confugiens ab eodem violente abstrahitur, vel si in eodem semen humanum voluntariè spargatur &c.

V. Estnè casus iste Sacrilegij restrictus ad locum duntaxat Sacrum?

S. Nequaquam, intelligitur quoq; extra illum, ut si quis extra locum Sacrum cum persona DEO consecrata fornicaretur &c.

V. Ultra.

S. *Divinatio, Incantatio, Sortilegium*, tam *exercentium* quàm *recurrentium*; quòd si exercentes aut recurrètes non resipuerint perpetuò sunt excommunicandi, & si in Sacris fuerint dignitate ac honore privandi.

V. Occurrit dubium: quando Ordinarius sibi reservat scelus illorum, qui ad magicas artes, incantationes, ligaturas &c. Eucharistiâ sacrivè rebus usi fue-

fuerint, & adjicit: si autem sit error in intellectu, excommunicationem ipso facto incurrunt Sedi Apostolica reservatam, quæro quid intelligendum sit per hanc conditionalem adjectam?

S. Hoc, quòd videlicet ejusmodi malevoli homines assumètes talia media, & credentes omninò esse efficacia ad effectum ab eis intentum incurrant censuram specificatam.

U. Ulteriùs.

S. Matrimonij contractus clandestinum, aut contra interdictum Ecclesiæ (item) susceptio Ordinum per saltum, vel ab alieno Episcopo sine dispensatione (item) retentio decimarum item celebratio missæ in altari non cõsecrato, vel absq; sacris indumentis, vel alioquin dum Sacerdos non est jejunus, quem celebrare præsumentem excommunicationem incurrisse declarat Conc. Tolet. VII.

U. Occasione hujus casus quæro: an non liceret Sacerdoti pro ministrando viatico celebrare & conficere Eucharisti-

Q

ristiam absq; vestibus sacris vel in
 tari non consecrato, cum hoc sit p
 ceptum duntaxat Ecclesiasticum,
 sumendo autem viatico Divinū, adeo
 sicut ipsi cedit præceptum de servan
 jejunio ante sumptionem Eucharist
 ita quoq; cedere possit præceptum
 celebrando cum vestimentis sacris &
 S. Non cedit, neque licet ita face
 estò enim præceptum celebrandi i
 vestibus sacris &c. sit Ecclesiasticum
 pertinet nihilominus ad rationem fe
 exhibitionem Sacrificij, quod cum sit
 juris publici utpote commune omni
 bus, & publicā CHRISTI authoritate
 institutum, fit ut etiam præceptum ce
 lebrandi in vestibus sacris sit juris pub
 lici, adeoq; præceptum quod conce
 nit actionem privatam, quale est de su
 mendo viatico non prævalet, estò Di
 vinum sit, quia quod privatam est, non
 potest prævalere contra jus publicum
 antiq; cedere debet præceptum de ser
 vando jejunio quia hoc concernit ac
 tio

tionem privatam & est minùs neces-
sarium.

V. Ulteriùs.

S. Fornicatio cum spiritali filia à se priùs
baptizata aut è sacro fonte suscepta &c.
vel cum quibusvis alijs à fide Christiana
ac Religione alienis ut Judais Saracenis
&c. (item) Incestus, Bestialitas, & So-
domia: Oppressio Filiorum, Procuratio
abortùs & sterilitatis.

V. Cur quæso Ordinarius reservando
sibi procurationem abortùs adjicere
solet: juxta Const. Sixti V. & Grego-
rij XIV.

S. Ut tollatur omnis ambiguitas & ad-
vertatur quid uterq; Pontificum in hac
materia decreverit; reservatio enim
se extendit non solùm ad procurantes
abortum fætùs animati, sed etiam in-
animati, & licèt pœnæ à Sixto consti-
tutæ quoad fætum inanimatum mo-
deratæ fuerint à Gregorio nihilominus
quoad fætum animatum permanent in
suo robore juxtà voluntatem ejusdem

Q2

Pon.

Pontificis, ut patet ex verbis suæ Co
stitutionis.

U. Nunquid etiam contrahentes ma
trimonium post votum simplex casu
tatis emissum, aut absolventes excom
municatum ex communicatione reser
vatori sine speciali commissione, aut de
pelientes usurarios manifestos subij
cent reservationi Episcopali?

S. Ita est.

U. Desidero quoq; audire Excommu
nicationes Episcopo reservatas.

S. Lego apud *Navar. c. 27. n. 112.* re
servatam esse Excommunicationem il
lam, quam quis incurrit propter levent
Clerici vel Religiosi percussione; Item
illam, quam Episcopus sibi reservat per
suum statutum: Item illam, quam quis
incurrit propter participationem cum
Excommunicato in crimine ob quod
ab Episcopo est excommunicatus: item
illam, quam tenetur non se presentans
Ordinario sublato impedimento, con
tra quem alioquin excommunicatio ab
Episcopo lata est &c. *U.* Quan-

V. Quando Episcopus concedit facultatem absolvendi à casibus sibi reservatis, etiamnè hoc ipso intelligitur concedere licentiam absolvendi ab Excommunicationibus sibi reservatis, dispensandi in Irregularitatibus, votis & juramentis?

S. Nequaquam; unde benè advertendum est quid velit Ordinarius, an videlicet facultatem extendat etiam ad Censuras sibi reservatas, vel duntaxat peccata quæ sibi reservavit absq; censura, pro quo videri potest *Navar. in Man. c. 27. n. 55.* ubi notat universaliter, quòd quando conceditur facultas absolvendi à Casibus reservatis, non detur hoc ipso facultas absolvendi à Censuris nec commutandi aut dispensandi vota: & ideò advertere oportet Confessores Religiosorum dum à suis Prælati supra dictam habent auctoritatem, ne putent se ad omnia extendere.

V. Dic mihi cur supra inter casus Episcopi.

Q;

sc.

scopo ex consuetudine reservatos, non
posuisti etiam *restitutionem incertorum*
S. Ideò quia invenio in *Dec. Sac. Congreg.*
14. Junij 1619. sicut & apud *Lez. de*
Tom. 3. q. 9. reg. v. casus n. 31. Episcopus
non posse sibi reservare incertorum
restitutionem.

U. Non dubito quin legeris & obse-
vaveris etiam illa quæ concernunt de-
lictum sollicitationis ad turpia in Con-
fessione.

S. Scio quòd pertineat ad Inquisitores
& Ordinarios locorum judicare hoc
delictum: scio quoq; quas pœnas pro
qualitate criminis incurrant Sacerdo-
tes sollicitantes in actu Sacramentalis
Cõfessionis ad inhonesta juxta *decre-*
Gregorij XV. in Constitut. quæ incipit
Universi. data 30. Augusti Ann. 1621.
scio item in præsentem non esse deter-
minationem tantum ad actum Sacra-
mentalæ Confessionis, ita ut standum
præfatæ Constitutioni procedendum
sit contra Sacerdotem cujuscunq; dig-

nitatis, sive sollicitatio contingat ante Confessionem, vel post immediatè sive occasione vel prætextu Confessionis, etiam Confessione non secutâ, sive in loco ad Confessionem Sacramentalem deputato &c.

U. Descendamus jam ad casus quos sibi Superiores Regulariũ reservare possunt, quæro, quod & quinam sint?

S. Hic necesse est ut adducam Decretum Clementis VIII. editum 26. Maij Anno 1593.

U. Adducas.

S. Sanctiss. D. N. qui jam pridem accurate perpendit, ac reipsa cõperit quòd reservatio facultatis absolvendi Religiosos pœnitentes à quibusdam peccatis gravioribus nisi Superiores admodum prudenter ac moderatè illâ utantur, nonnullos infirmiores, qui interdum Superiori suo conscientia maculas detegere formidant, adducere possent in æternæ damnationis periculum & spiritualis remedij desperationem:

Q4

ideo

ideo ut huic malo sua Sanctitas opportunè prospiceret, decrevit, ut nemo ex Regularium Superioribus absolutiones peccatorum sibi reservet, exceptis ijs quæ sequuntur, aut omnibus, aut eorum aliquibus prout subditorum utilitati expedire prudenter in Domino judicaverit.

I. Veneficia, Incantationes, Sor- tilegia.

II. Apostasia à Religione, sive habitu dimisso, sive retento, quando eò pervenerit ut extra septa Monasterij seu Conventûs fiat egressio.

III. Nocturna & furtiva è Monasterio seu Conventu egressio etiam animò non apostatandi facta.

IV. Proprietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale.

V. Juramentum falsum factum in judicio regulari seu legitimo.

VI. Procuratio, Auxilium sive Cõsiliium ad abortum faciendum post animatum fœtum, etiam effectu non secuto.

VII.

VII. Falsificatio manûs, aut sigilli
Monasterij, aut Conventûs.

VIII. Furtum de rebus Monasterij
seu Conventûs in ea quantitate quæ sit
peccatum mortale.

IX. Lapsus carnis voluntarius ope-
re consummatus.

X. Occisio aut vulneratio seu gra-
vis percussio cujuscunq; personæ.

XI. Malitiosum impedimentû aut
retardatio, aut aperitio literarum à Su-
perioribus ad inferiores, & ab inferio-
ribus ad Superiores.

Si quod aliud præterea peccatum
grave pro Religionis conservatione,
aut pro conscientia puritate reservan-
dum judicabitur, id non aliter fiat
quàm Generalis Capituli in toto Ordi-
ne aut Provincialis in Provincia matu-
rà discussione & consensu.

Non liceat Superioribus Regulari-
um confessiones subditorum audire,
nisi quando peccatum aliquod refer-
vatum admiserint, aut ipsimet subditi

Es

spon-

sponte aut proprio motu ad ab eis pe-
tierint.

Superiores in singulis domibus de-
putent duos tres aut plures Confessa-
rios pro subditorum numero majori
vel minori, ijq; sint docti, prudentes
ac charitate præditi, qui à non reserva-
tis eos absolvant, & quibus etiam re-
servatorum absolutio committatur,
quando casus occurrerit, in quo eam
debere committi ipse imprimis Con-
fessarius judicaverit. Tam Superiores
pro tempore existentes quàm Confes-
sarij qui postea ad Superioritatis gra-
dum fuerint promoti caveant diligen-
tissimè, nè eâ notitiâ, quàm de alio-
rum peccatis in Confessione habue-
runt, ad exteriorem gubernationem
utantur.

Licebit tamen Superioribus deter-
minare pœnitētias graves pro quibus-
dam peccatis etiam non reservatis à
Confessarijs imponendas, quæ subdi-
tos ab hujusmodi perpetrandis cohi-
bere

bere possint: atq; ita per quoscunque Regularium Superiores quicumque illi sint observari mandavit: Non obstantibus &c.

U. Possentne Prælati Regularium ferre Censuras contra suos subditos ob aliquod delictum grave?

S. Omnino: *Suar. de Cens. Disp. 29. Sect. 3. num. 13. Fillii. de Sac. Tract. 7. cap. 10. num. 276. & alij*: Ubi etiam noto ex *Navar. in Sum. 26. cap. num. 13. Fortel. in dub. ver. Abortus: num. 11. & ver. Dispensatio num. 9.* quod Religiosi irregulares, inhabiles ad Officia, Suspensi à Divinis, & alijs Censuris vinculati à quibus Prælati potest absolvere, si sint præsentibus in Capitulo Provinciali, vel in Visitationibus aut festivitibus, in quibus solent Prælati absolvere subditos generaliter dicendo: *Si tenemini aliquo vinculo excommunicationis, suspensionis & Interdicti &c. absolvo vos & restituo vos Sacrosanctis Sacramentis Ecclesie, communioni &*

Q 6

uni-

unitati fidelium; Item eadem Authoritate ego dispenso vobiscum super Irregularitate &c. prout sæpè practicatur apud diversos Religiosos, estò quòd id non petierint, vel etiam quòd non fuerint memores Censurarum pœnarum & similiarum quibus erant affecti, quòd inquam maneant absoluti & dispensati, neq; teneantur aliam quærere absolutionem, verùm satis erit sua tantum peccata ut decet ad pedes Confessarij confiteri (etenim per hanc generalem absolutionem tam Censuræ, quàm pœnæ censentur sublata) *vi Donat. Laym. in praxi Regul. Tract. 1. par. 2. quasi. 31. num. 3.*

U. Si aliquis fortè Superior in particulari sibi reservaret aliquod delictum etiam sub Censura possetnè eum, qui deliquit absolvere Ordinarius Confessarius & à delicto & à Censura?

S. Respondet *Allozza* contra *Suar.* quòd absolvere possit ex hac ratione quia juxta præfatum Decretum *Clementis*

talis reservatio à Superiore particu-
lari est nulla, eò quòd reservatio Casu-
um seu delictorum fieri debeat in Ca-
pitulo Generali vel Provinciali cum
Superiorum consensu.

U. Dixeras alibi *Gregor. XIV. in sua
Constitu. voluisse, ut pœnæ Sanctæ à Six-
to V. contra procurantes abortum per-
maneant in suo robore quoad factum
animatum, jam quæro: quænam sint
illæ pœnæ in Constitu. Sixti V.*

S. Sunt sequentes: Pœna Excommunicatio-
nis, item pœna Irregularitatis & Pri-
vationis Beneficiorum, & inhabilita-
tis ad Beneficia & Officia, aliæque pœ-
næ temporales, etiam pœna mortis.

U. In quo autem intelligitur modera-
ta Constitutio *Sixti V. per Gregorium.*
S. In hoc, quòd non incurrat quis Ex-
communicationem aliasq; pœnas, nec
contrahat Irregularitatem, nisi quan-
do est factus animatus, prout alias Sa-
cri Canones decreverunt: fuit etiam
moderata quoad prohibitionem, olim
enim

enim non nisi per Sedem Apostolicam absolutio desuper præstari poterat, hodie verò hujusmodi absolutionis reservatio est translata in locorum Ordinarios, & ex Privilegio in Prælatos Regularium quasi Episcopalem Jurisdictionem habentes.

U. Suppono Irregularitatem non contrahi nisi effectus sequatur.

S. Pro hoc sicut & alijs observandis circa crimen abortûs à Pœnitentiario, poterit videri nominati Pontificis Gregorij *Constitu.* quæ incipit *Sedes Apostolice: Pia Mater &c.*

U. Sed quando censet animatum esse fœtum masculi aut fœminæ?

S. Fœtus masculus animatur post 40. dies, fœmininus verò post 80.

U. Quid si dubitaretur post dies 40. an fœtus sit masculus & consequenter animatus, vel fœmininus adeoq; inanimatus?

S. In spiritualibus quia tutior pars in dubio est eligenda, sentio quòd tenendum

dum sit fuisse masculum & animatum post dies 40. & sic tenendum ac intelligendum esse dico in foro Conscientiæ: (in foro enim contentioso quando agitur de pœna infligenda in dubio mitior pars est eligenda, adeoq; in eodem, quando dubium est an fœtus sit animatus? inanimatus reputari debet.)

V. Incurritnè Irregularitatem ille, qui dubitat an fœtus cujus abortûs causa fuit animatus sit, an non?

S. Quidam affirmant, ast alij probabilius negant prout observat *Allozza ex Divo Thoma Q. 1. de Irregul. dub. 4. ver. abort.*

V. Apud quem Confessarium se sistere debet is, qui procuravit abortum post animatum fœtum pro absolutio-
ne à vinculo Excommunicationis?

S. Apud Confessarium ad id specialiter ab ordinario designatum, sive habentem potestatem absolvendi à Casibus sibi reservatis & Censuris *vi. Bonac. de pecca. Disp. 2. Q. 1. pun. 4.* Ubi notat
Cen-

Censuram extendi â Pontifice etiam ad cooperantes potione, consilio, favore & ope.

U. Gaudentnè Imunitate Ecclesiasticâ procurantes abortum cum medicamenti malis ?

S. Nequaquam, itâ decrevit *Sac. Congreg.* sub die 3. *Decemb.* 1632. unde ad Ecclesiam confugientes possunt ex Ecclesia trahi & accipi. *Vi: Lezan. Tom. 2. ver. Abort. n. 20.*

U. Licitum tamen esse procul dubio asseres abortum procurare in aliquo Casu.

S. Asserô, & quidem si fœtus animatus non sit, dico posse dari potiones medicinales Matri prægnanti & ægotanti cum certo periculo fœtus, quando nulla alia via adesset ad salutem procurandam.

U. Quæ hujus Ratio ?

S. Hæc: quia quando fœtus animatus non est, nulli fit injuria, nec animæ periculum subitur, si fiat abortus, tum quia

quia potior est salus Matris viventis
quàm fetus inanimati ergo respectus
est habendus potiùs ad salutem Matris
viventis quàm fætùs inanimati *Laym.*
in Theol. Moral. lib. 3. Sect. 5. Tract. 3. par.
2. c. 4. Lessius Sanchez & alij commu-
niter.

U. Hocnè ipsum asseres etiam respec-
tu puellæ nobilis prægnantis, quando
scilicet non procurato abortu eidem
imminet periculum vitæ, vel magnæ
infamix supponendo fætum nondum
esse animatum?

S. Non sunt facienda mala ut eveniant
bona: pro hoc vi: *Fillinc. T. 2. Tract. 29.*
c. 6. Sanchez de Matrimonio T. 2. lib. 9.
Disp. 20. Dian. p. 6. Tract. 8. resol. 37.

U. Quasi verò procurare abortum fæ-
tùs inanimati ad vitandum imminens
periculum vitæ vel magnæ infamix
Nobilis puellæ sit malum, nunquid
exuit rationem mali & induit ratio-
nem boni, cum de jure naturæ sit po-
tiùs vitam & famam servare viventis,
quàm

quàm destruere esse non viventis: præterquam quòd nulli fiat injuria si fætus non animatus pereat, maxima autem fieret injuria prægnanti, si non sequatur abortus, similiter & familiæ supponendo quòd inde facillè notabiles inimicitia possent oriri.

S. Hæc opinio licèt defendatur tanquam probabilis à quibusdam, sustinentibus abortum fæt^o inanimati non esse intrinsecè malum, adeoq; ex præfata circumstantia periculi & famæ posse bonificari, attamen ad praxim non est deducenda, hinc ante factum tale quid non consulerem. vi: *Lex. in Sum. 99. Regul. T. 3. v. Abortus num. 5.*

V. Quid si fætus esset animatus & Mater infirma?

S. Dico quòd si medicina sint ordinatæ directè & immediatè ad Matris salutem, per accidens verò & indirectè ad fætus animati destructionem (ut sunt Sectio venæ, pharmaca purgativa & consimilia) licitum sit ejusmodi
me-

medicinis uti, etiam cum certo periculo fatûs animati, quando aliter Matris salus non potest haberi: *Sa. v. Homicid. Rhodric & alij.* Sicut enim Mater infirma potest cum abortûs periculo fugere Taurum, aut sicut licitum est bellum justum gerere, quamvis inde sequatur per accidens mors innocentis, ita etiam potest dari medicina licite Matri justè indigenti, licet per accidens sequatur fatûs animati mors, dummodo medicinæ & remedia non tendant directè ad occidendam prole. *V.* Si autem medicamentum esset dubiû, vel æq; ordinaretur ad Matris salutem & ad fatûs animati occisionem, nec haberetur certitudo moralis utrû medicina sit magis profutura Matri an magis nocitura fatui, quid tunc? *S.* Cum probabiliori sententia teneo præferendam esse salutem Matris in paritate rationis, & obligari Medicum ad præbendam talem Medicinam quæ æquè sit directa ad Matris sanitatem quam

quàm ad occisionem fatûs, & hoc rationabiliter, quia potior est in jure servandæ suæ vitæ Mater, cùm potior sit conditio possidentis priûs, prior autem est Mater in possessione vitæ, quàm fatûs animatus: (præterquam quod pluris æstimâda sit vita Parentis quàm fatûs) ergo in paritate rationis, vel in dubio potiùs providendum est Matri, quàm fatui.

U. Moveor ad proponendum tibi ultra aliquid circa Casum nonum.

S. Existimo me auditurum aliquam restrictionem.

U. Ità est: quæro itaq; an simplex molities intelligatur reservata in Casu nono præfati Decreti *Clementis VIII.*? vel an intelligantur reservata solùm peccata carnalia cum secūda Persona?

S. Quidam Theologus docet, quòd *speculativè loquendo* probabiliter sustineri possit de jure non reservari simplicem molitiem in dicto Casu: sed ex rationabili motivo non recenseo aut decla-

ro hunc modum loquendi *speculativè*,
verùm *dico* etiam simplicem mollitiem
reservari ex eo, quòd Papa loquatur
de quocunq; lapsu carnis voluntario
opere consummato, quatenus est ge-
nus ad mollitiem, & alia peccata car-
nalia cum secunda persona: circa hoc
inspicienda sunt particularia statuta
Religionum & quærendum à Prælati-
s, an etiam hoc delictum maximæ fragi-
litate sibi reservent, quando non spe-
cificant expressè, quòd reservatum ef-
se velint.

V. Pro Complemento quæstionis pe-
to, an quando Provinciales commit-
tunt Prioribus vel Guardianis autori-
tatem absolvendi à Casibus sibi reser-
vatis, possint ipsi alijs eam committere?
S. Respondeo conformiter ad ea quæ
lego apud Navar. in man. c. 27. n. 45.
quòd estò nequeant delegare suas ju-
risdictiones, tamen simplex Ministe-
rium absolvendi alteri committere
possint.

V. Sit

U. Sit pro nunc satis, plura proponam
dum discursum formavero de Absolu-
tione à reservatis.

S. Prout placet.

QUÆSTIO XXVII.

De Forma Sacramenti Pœ-
nitentiæ.

Vicar. Quid dices pœnitenti Sacram-
tribunal accessuro?

S. *Ly Dominus sit in corde tuo & in labijs
tuis ut dignè confitearis omnia peccata tua
In Nomine Patris &c.*

V. Quid post enarrata peccata?

S. Illud quod est expressum in Ritib:
Rom. nempe: *Misereatur tui omnipotens
DEUS &c. Indulgentiam Absolut. & Re-
missionem &c. Dominus noster &c.*

V. Fortè reconciliationibus seu brevi-
oribus Confessionibus illorum, qui sæ-
pè confitentur compendiosior posset
adhiberi forma.

S. Posset v. g. Hæc: *Authoritate D. N.
JESU Christi ego absolvo te à peccatis tuis*